

ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. PGB 651

Fisewjn

Antwerpen, 17 maggio 1961

Antwuerpiae a.d. XVI Kal. Iun. MCMLXI

Reverende admodum et amicissime Pater,

Laetus novissimas tuas litteras accepi, ex quibus certior factum sum te, etsi multis officiis cumulatum, admodum tamen valere. Nos etiam satis valemus, etsi uxor denuo gravida coxae dolore nonnumquam cruciatur. Scito etiam nos Idibus Iuliis Antwuerpie Lovanium commigraturos esse; domus nova sita est: Paul Lebrunstraat 27, Leuven. Fieri etiam potest un mense februario exeunte cum uxore et liberis Italiam petam et quattuor menses studiorum causa Romae versaturus sim. Suntne eo tempore viae in Italia satis tutae ut iter autocineto facere possim? An praestat tempestatum causa autocinetum tramini imponere? At parum urbanus sum, qui de me meisque garriam, quaestiones vero tuas praeterierim! Anthologia poetica, quam Josephus Eberle (Turmhaus, Stuttgart) paravit iam prelo commissa est, etsi plagulae nondum correctae sunt. Nescio itaque utrum specimen carminum tuorum una cum brevi vitae curriculo etiamnunc recipi possit annon. Mittas tamen suadeo. Est autem Anthologia quinquaginta poetarum e septemdecim nationibus, i.e. Italia, America, Brasilia, Australia, Russia, Iugoslavia etc. Ego autem epilogum pedestri oratione scripsi de poesi latina recentiorum temporum. Monere te etiam velim florilegium cuiusvis generis carmine accepisse praeter ea, quae aut versa sunt e linguis vernaculis aut argumentum tractant sacrum. Nam, ut ipse in praefatione scripsit, impium duxit sacra profanis miscere.

Mense maio liber noster prelo exiit, quem nativo sermone conscripsimus de poetis latinis, qui saeculo XX floruerunt. Mentionem etiam fecimus poetarum maioris momenti, qui saeculo XIX opera ediderunt (Vitrioli, Esseiva, Leo XIII etc.). Ubi de poetis, qui nunc sunt, scripsimus, nomen etiam tuum protulimus et tres locos ex opusculis tuis exempli gratia excerpimus. Quod vero nederlandice, non latine opus conscripsimus (eaeque de causa nec tibi nec ceteris Italis usui esse possumus), id non nostra sed editoris culpa est. Cui tamen gratus sum, quia libellum de poetis latinis typis mandare non recusavit, qui

semper carmina flandrica edere solebat.

Heri " Carmina " Hugonis Henrici Paoli accepi, quae apud librarium florentinum Le Monnier prodierunt. Sunt novum et lucumentum latinitalis italice monumentum, quod ut quam laetissime divulgatur vehementer optandum est. Utinam multi essent professores, qualis Paoli, docti simul et poetae!

Optima vale, Pater carissime, et nostri memor sis.

Salutat te addictissimus tuus

J. Ijsewin